

nam? Et tamen secutus est Christus: sequere igitur et tu licet malus vel imprudens imperet tibi rector.

Quid actum apud Annam? Communiter existimant, interrogatum ibi Christum de discipulis et doctrina, et percussus a alapa: quod ex contextu Joannis id sequi videatur. At verius est, nihil ejusmodi apud Annam factum, sed in domo Caiphæ. Primo, quia ex eo sequeretur negasse Petrum apud Annam, quod ibidem narrat Joannes: quod tamen reliqui evangelistæ scribunt factum apud Caipham. Secundo, quia ipso Joanne testante, pontifex interrogavit Christum de discipulis et doctrina. Atqui Annas non erat pontifex tunc, sed socer tantum Caiphæ, qui erat pontifex ejus anni. Quod si post narrationem alapæ subdit Joannes: *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham*, intelligendum dici id per recapitulationem, q. d. facta sunt hæc apud pontificem, quia eo miserat Christum Annas. Unde in Græco habetur *miserat*, non *misit*. Tertio, quia cum Annas tunc non esset pontifex, non pertinebat ad eum examinare Christum.

II. Mittitur ab Anna ad Caipham pontificem, a quo interrogatur de discipulis et doctrina ejus. Cui respondet Dominus, primo, se palam docuisse in synagoga et templo. Ubi docet primo, verbum docendum publicè; secundo, in loco sacro: non in angulis et furtim, quod hæretici facere solent. Secundo, non esse prædicandum iis, qui audire non sunt parati, sed calumniari tantum et contemnere, uti Caiphæ, juxta id Eccl. *Ubi auditus non es, non effundas sermonem*. Et id quod alibi dixit: *Ne mittatis margaritas ante porcos*: qui nimirum eas pedibus conculcent. Tertio, libere et absque timore confitendam esse veritatem, etiam coram persecutoribus et veritatis hostibus.

Adit: *In occulto locutus sum nihil*; quia nihil furtim aut clanculum docuit: sed si quid privatim docuit, voluit ut quæ in aure audierant discipuli, prædicarent super tecta, Matth. X.

Adicit: *Quid me interrogas?* Primo, quia sciebat testimonium suum a pontifice non recipiendum: jam dudum enim audierat Judæos sibi acclamantes: *Tu de teipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum*. Secundo, quia stulte interrogabat de doctrina ejus, quem jam comprehendi et ligari tamquam hæreseos seminatore fecerat; hoc enim erat prius aliquem condemnare et postea causam ejus cognoscere, quod olim faciebant Carinthii furibus jam suspensis. Tertio, quia nimis culpabilis et stolidus erat, qui de Christi doctrina interrogabat, quæ tamen lippis et tonsoribus, ut dicitur, nota erat.

Sedit duodennis in medio doctorum: docuit passim in templo et synagoga, in urbe, campis, montibus, deserto, mari; adhuc interrogat Caiphæ de doctrina ejus, quasi in meridie interrogaret, utrum sol luceret? Ita *serè* responderat olim cæcus natus Pharisæis: *In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis unde sit: et aperuit meos oculos*, Joan. IX.

Subdit: *Interroga eos qui audierunt, quid locutus sum ipsis. Ecce hi sciunt quid dixerim ego*. Primo, ne pontifici ansam daret calumniandi, si in particulari proponeret suam doctrinam; sciebat enim quam ægre auditurus esset cum suis veritatem doctrinæ suæ, displicentis carni, et potentibus, divitibus ac superbis hujus sæculi. Ideo ad testes eum remisit. Secundo, quia proprio testimonio non ita creditur ut alieno; præsertim si quem inimici commendent, quos videtur in testes adducere cum ait: *Ecce hi sciunt, quid dixerim ego*. Tertio, ut doceret neminem seipsum commendare debere, sed ab aliis commendari juxta id Prov. XXVII. *Laudet te alienus et non se tuum*.

Cæterum ad quæstionem de discipulis non respondit. Primo, ne eos proderet utpote perterritos ac pusillanimes, martyrio nondum aptos. Secundo, quia ob recentem eorum fugam non habebat, quo eos commendaret, ideo nec accusare aut diffamare volebat, sed potius tacere in exemplum nobis, ut si quem laudare non possumus, saltem ne vituperemus, sed defectus ejus celemus. Sic honesti pictores partes celandas, umbra aut velamine tegunt.

III. Hoc respondente Jesu: *Unus assistens ministrorum dedit ei alapam dicens: Sic respondes pontifici?* Motus ad hoc videtur primo, assentandi studio: quia enim videbat pontificem Christo infensum, hinc adulari volens pontifici, zelum honoris ejus ostensurus, Christum tamquam pontificis contemptorem percussit. Cui similes sunt, assentatores potentum. Secundo, secundum Cyrillum, ex timore, ut ostenderet se non fuisse de numero ministrorum illorum, qui olim missi ad capiendum Christum, admirantes redierunt re infecta, quasi et ipsi a Christo ducti essent, Joan. VII. Vel denique quod ægre tulerit se et socios in testes a Christo allegatos, esse. Gravis admodum fuit hæc alapa. Primo quia absque dubio fortis ætus erat, alioquin Joannes tam sedulo ejus non meminisset, nec Christus de eo conquestus esset. Solet certe hoc genus hominum, lictores scilicet, loricatas gerere chirothecas, quæ certe aerem non verberant; et tales habuisse percussorem sentit S. Bernardus, serm. de passione I. Secundo, quia ab

infam servo alapa hæc inflicta erat: ut merito dicere posset Dominus: *Factus sum omnium perripsema*, q. d. etiam perditissimorum ludibrium. Tertio, quia alapa confusionem et ignominiam secum affert; unde accepta alapa natura mox erubescit, et facies rubore perfunditur. Quarto, quia coram summo pontifice et consessu iudicum ac præsentia aliorum. Quinto, quia a creatura inflicta est creatori ea ipsa manu, quam creator formaverat sua. Quæ res tanta est, ut S. Chrysostomus hoc considerans exclamet: « Exhorrescat cælum et contremisceat terra! Alapis Deus perculti potuit? O angeli qui hæc intuemini, quomodo siletis; quomodo manus continere potestis? Quomodo pro Domino vestro non respondetis? » Hom. LXXXI. in Joan. Et S. Ephrem, ser. de passione Domini: « Cogito, inquit, et contremisco compungorque denovo, tantam longanimitatem optimi Domini aspiciens. Ecce enim renes mei me loquente tremunt: quoniam creator qui ex pulvere terræ hominem per gratiam finxerat, ab eodem jam pulvere formator ipse alapa cæditur. » Sic ille. Sexto, quia ut mox audiemus, gravissimam continebat injuriam.

Sed cur hanc alapam sustinere voluit Dominus? Primo, ut ignominiam nostram, quam contraximus peccando, deleret hæc sua; siquidem alapæ inflictio in confusionem alicujus fit, et ignominiam magis quam dolorem affert. Secundo, quia parentes nostri eam meruerant, tum quia mendaciis serpentis potius crediderunt quam Deo vera dicenti: tum quia impudenter Deo responderunt: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno; et serpens decepit me*. Tertio, ad indicandum, quia jam in Christo manumitteretur genus humanum a servitute diaboli. Nam teste S. Ephrem, serm. de passione Domini, servi omnes cum liberi efficiuntur, accipiunt alapam, ut morali libertate potiantur. Quarto, ut exhiberet nobis insigne specimen patientiæ, dum nullam de tanta injuria sumpsit ultionem. Mirantur hic ss. patres, cur elementa omnia non fuerint commota ad ultionem tanti sceleris in creatorem suum patrati; siquidem alioqui in defensionem justorum sæpissime se arnaverant. Ignis de cælo descendit olim in delusores Eliæ; ursi de silva procurrerunt in pueros Elisei irrisores; terra aperuit os suum et devoravit contemptores Moysis; manus Jeroboam exaruit, cum apprehendere vellet prophetam, III. Reg. XIII. canis manum illius hospitæ, qui S. Thomam apostolum percusserat in maxillam, amputatam attulit mordicus in medium convivii. Ut quid ergo non ultus est se Dominus? Utique ad ex-

emplum patientiæ præbendum; et ut facto doceret, quod olim verbis docuit, nimirum: *Si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi et alteram*; hoc est, patienter sufferto et paratus es sufferre majora, quod certe hic fecit Christus. Erubescat igitur terra et pulvis, qui levissimum quodque verbum contra se dictum ulciscitur et centum pejora rependit. Hujus alapæ admonet te episcopus in confirmatione, ut nimirum intelligas tibi, quicumque es, pro Christo et fide omne genus contumeliæ æquo animo ferendum esse.

IV. Respondit Jesus percussori: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene, quid me cædis?* Sed cur ad hanc injuriam respondet Dominus, qui alias omnes cum silentio tolerabat? Primo, ne existimetur pontificem contempsisse (hoc enim ei crimen a percussore objiciebatur.) Hanc notam ferre Dominus non debebat; qui potestatem ecclesiasticam præsertim semper honorabat; nec decebat ut alicujus peccati reus putaretur, qui pro aliena culpa pati voluit. Respondit ergo ut testaretur se non contempsisse aut contemnere pontificem, licet, improbum: exemplo fidelibus, ut ne contemnerent sacerdotes licet malos. Secundo, ad correctionem ministri, qui privato et temerario ausu nondum condemnatum tam graviter cedere non erubuit in judicio, ubi nihil ex privato odio cuiquam agere licet præsertim ministro. Sic monuit Eccl. cap. XIX. *Corripue amicum, ne forte non intellexerit et dicat: Non feci; aut si fecerit, ne iterum addat facere*. Tertio, ut eo responso tangeret et instrueret pontificem, talem scilicet injustitiam et libidinem ministrorum in judicio, præsertim eo præsentem, non ferendam esse: servandam potius in judiciis æquitatem; nec puniendum quemquam priusquam convincatur. Quarto, ut hoc responso pacatum suum ostenderet animum; si enim nihil prorsus respondisset, perturbatum ex injuria credidisset, et clanculum indignari. Nunc autem prudenter et pacato responso aperuit animi sui tranquillitatem: quod iracundi facere non solent ob perturbationem. Submittit se hoc responso juribus humanis, paratus emendari ab hominibus si quid male dixisset: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo*. Ad hæc: *Quid me cædis*, inquit, *si bene sum locutus?* Quid hac responsione verius, mansuetius, justius? inquit Augustinus, tract. III. in Joan. Nonne Deo volente conquesta est asina olim contra Balaam sessorem et iniquum percussorem suum: *Quid feci tibi? Cur percutis me?* Num. XXII. Idem nunc dicit Dei Filius, alioquin dicere poterat: *Descendat ignis de cælo et devoret te cum tuis*. Nonne si imperator a te offensus dice-

ret: Subeamus iudicium utrum male egerim, mansuetissimum diceret?

Gratias igitur tibi agimus, o area, quod non idem feceris hostibus tuis, quod olim suis fecit arca fœderis. Væ enim nobis, si id fecisses! Quomodo enim tunc peccata nostra expiasses? Quomodo nos a servitute dæmonis erepti fuisset? Unde tot virtutum exempla haberemus? Discamus itaque ab ea mansuetudinem et patientiam, etc. Nemo sibi ignominiam ducat, si immeritus colaphizetur, quia *si beneficientes patienter sustinetis; hæc est gratia apud Deum*, ait S. Petrus, I. Pet. II. Annon laude dignum est, facere quod Deus fecit? Non percussit Christus, quia Christus erat, et mori ac pati pro nobis voluit: non percuciamus nos, quia Christiani sumus. Ita S. Christophorus a tortore in faciem percussus, dicebat: *Repercussissem te nisi Christianus essem*. Dicamus et idem nos. Taceo quod diabolus summopere gavisus fuisset, si Christus se vindicasset; putasset enim eum victum impatientia. Itaque *irascimini et nolite peccare*, Psal. IV. *Et nolite locum dare diabolo*, Ephes. IV.

§ X. — NOCTURNUM ET PRIMUM CONCILIUM  
CORAM CAIPHA.

I. Conveniunt sacerdotes et seniores. — II. Quærent falsum testimonium sed frustra. — III. Prodeunt duo falsi testes, et cur falsi dicantur. — IV. Princeps sacerdotum interpellat Christum, surgit in medium. — V. Jesus tacet. — VI. Adjurat Jesum sacerdos. — VII. Respondet Christus. — VIII. Princeps scindit vestem. — IX. Condemnant Jesum omnes.

THEMA.

*Adduxerunt Jesum ad summum sacerdotem, et convenerunt omnes sacerdotes, et scribæ, et seniores.*  
Marci XIV.

Libro III. Reg. cap. XXIII. legimus bonum et æquum virum Naboth nomine, vineam ex parentum suorum hæreditate habuisse juxta palatium Achab, regis Samariæ. Hanc quia vicina erat, petiit ab eo Achab, promittens ei meliorem vel justum argenti pretium. Sed respondit Naboth: *Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi*. Indignatus igitur rex, conqueritur uxori: uxor Jezabel mittit ad seniores et optimates populi, jubens, ut submitterent duos falsos testes contra Naboth, qui dicerent, eum maledixisse Deo et regi, sicque educerent, et lapidarent atque occiderent. Videor hic mihi videre figuram concilii ejus, quod habitum est

contra Christum: Achab frater Patris exponitur, et diabolus representat, qui similis esse volebat Altissimo, ideoque ironice quemadmodum et Adam, quasi unus ex diis, adeoque frater Dei Patris factus est. Naboth loquelam velloquentem significat, et Christum, Verbum Patris representat. Habuit hic vineam, Ecclesiam suam ex hæreditate Patris (juxta id Psalm. II. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam*) juxta palatium Achab, id est, juxta tenebrarum aerem et infernum, in quo dæmon degit princeps tenebrarum harum. Petiit igitur dæmon hanc a Christo vineam, dum Ecclesiam Dei in suam redigere potestatem cupiebat; et forte cum ei dixit: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens (a passione tua) adoraveris me*. Sed respondit ei Dominus: *Vade Satana*, et vineam suam magis excolere cepit. Indignatus itaque dæmon instigat uxorem suam, synagogam scilicet impiam, ut juberet seniores contra Christum producere duos falsos testes. Quod et factum, unde condemnatur Christus quasi blasphemus. Sed vanissime et iniquissime adeoque inani eventu, uti audiemus.

I. Convenerunt in domum Caiphæ omnes sacerdotes et scribæ et seniores. Cur tam præpropere et de nocte? Primo, quia hæc erat potestas tenebrarum. Lucem fugiebant, de nocte consultabant: ne interdiu exteri præsentibus essent, qui injustissimum eorum processum adverterent et culparent. Avicenna, can. IV. ait animalia venenosa convenire ad lumen si in horreo ponatur, ut id extinguant. Sic isti lucis inimici, ut legimus Joan. III. Debebat autem esse potestas tenebrarum, id est, abruptum et præcipitatum iudicium; alioquin quomodo Dominum gloriæ condemnare potuissent? Ideo de agno paschali dictum, *Comeditis festinanter*. Secundo, quia sitiabant sanguinem Christi. Unde Sap. II. in eorum persona dicitur: *Gravis est etiam nobis ad videndum*. Ideo non parcebant diei festo; ideo priusquam adduceretur, jam convenerant, ut indicat Matthæus: ex quo colligi potest, eos prius decrevisse in eum mortis supplicium, quam viderint et audierint. Tertio, ne si diutius detineretur, elaberetur; ideo enim Judas jussit eum duci caute. Sed quam æquum est hoc iudicium, tam abruptum, tam festinatum, tam raundum! « Non potest esse temperata justitia (inquit Cassiodorus) ubi est fervida vindicta. » Et Cicero, II. de officiis: « Iratus ad penam qui accedit, nunquam mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium et parum. »

II. Princeps et omne consilium quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent, et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent.

Quam bene dictam a Daniele, cap. XIV. *Egressa est iniquitas a senioribus*. Nam magi quærebant Dominum, ut eum adorarent; parentes ut eum custodirent; turba ut eum tangeret, seniores isti, ut eum interficerent. Sed quando quidem occidere decreverunt, cur non fecerunt absque omni testimonio? Prima causa, ut consulerent honori suo, ne dicerentur homicidæ; ideo suam iniquitatem et invidiam forma aliqua judiciali palliabant. Pugionem jam paratum gerebant, sed pallium quærebant, sub quo ferirent. Secundo, quia Pilato tradendus erat Christus ad necandum; is autem nullo audito testimonio, non facile permotus fuisset ad Christum condemmandum. Non fuit contentus etiam istis, quæ contra eum ferebantur. Tertio, ad majorem Christo inurendam ignominiam, si mirum diceretur, eum testimonio convictum, servato juris ordine tamquam noxium esse occisum. Sed nihil proficis, insana libido! Detecta est malitia tua, quia non erant convenientia testimonia etiam ipso Caipha attestante, qui relicta testium accusatione, ipsemet actorem se exhibet, et causam necis in Christo apparentiorem quærit.

Itaque falsum testimonium quærentes, non invenerunt: quod videlicet crimen contineret mortis et crucis supplicio dignum. Mirum profecto; si quidem multi falsi testes accesserunt, Matthæo teste. Sed hoc ita fieri debuit, ut appareret Christi innocentiam tantam esse, ut nec falso quidem testimonio lædi posset. Secundo, ne Christus videretur cuiquam jure occisus, quod facile credidissent simpliciores. Tertio, in documentum nostrum, ut sciremus contra veritatem non posse inveniri testimonia falsa, quæ sint convenientia et excusent ac fœdent conscientiam. Multi quærent textus juris, vel sententias doctorum et casuistarum, aut advocatos ad injustitiæ suæ et aliorum peccatorum defensionem, vel potius palliationem. Sed non sunt convenientia testimonia.

III. Novissime venerunt duo falsi testes et dixerunt: *Nos audivimus eum dicentem: Ego dissolvam, vel possum destruere templum hoc manufactum, et post triduum aliud non manufactum ædificabo*: dixerat quidem Dominus, Joan. II. *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*. Cur ergo dicuntur falsi testes? Resp. primo, quia verba Christi metaphorica, de templo videlicet corporis sui dicta, in proprium sensum temere traxerunt. Nam etsi ea verba sensu proprio intelligi poterant, testium tamen non erat, ea sic accipere, sed dubitare potius, annon metaphorice dicta sint, adeoque a Christo prius verborum suorum explicationem petere, quilibet enim verborum suorum interpret est optimus. Deinde minus fideliter

referunt. Non enim dixit: *Possum destruere, vel: Ego dissolvam, sed: Solvite*, id est, solvetis templum hoc. Nec addidit manufactum, aut non manufactum, quod illi tamen de suo addunt. Itaque recte subjecit Marcus: *Et non erat conveniens testimonium illorum*. Quam bene de illis dictum, Psal. LXIII. *Excaverunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum*. Quæris qua ratione? Sequitur: *Scrutati sunt iniquitates: defecerunt scrutantes scrutatio*. Sed quid sequitur? *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum*.

IV. *Ecce surgens princeps sacerdotum in medium ait illi: Nihil respondes ad ea, quæ isti adversum te testificantur?* Iudicium est sedere et pacate agere. Cur ergo nunc surgit in medium Caiphas? Nimirum primo, *ira præceps et impatiens*, inquit S. Hieronymus, *excitit de solio pontificem*. Indignabatur enim Caiphas, quod Christus objecta videretur contemnere, ipsoque silentio suo refutare tamquam indigna responso. Indignabatur, quod non haberet locum ex occasione responsionis accusandi Christum. Indignabatur denique, quod tam frivola et parum apta afferrentur testimonia. Secundo dicerem ego, vim quamdam occultam excussisse pontificem, ut nolens volens assurgeret Filio Dei et futuro iudici suo. Sic enim et Valentianus imp. cum dedignaretur assurgere S. Martino Turoni episcopo, erumpente flamma de sella, solio superbus excutitur et invitus illi assurgit, Sulp. in vita. Quam enim putatis indignum erat, sedere pulverem in solio, et stare ante ipsum creatorem ejus? Cum S. Athanasius episcopus Alexandrinus ab Arianis episcopis citaretur tamquam reus ad dicendam causam, et coram accusatoribus stare juberetur, magnus ille Potamon Heracleæ episcopus collacrymans præ indignitate rei, clara voce in Eusebium Arianum episcopum invectus aiebat: *Tu sedes Eusebi, et Athanasius innocens stans a te iudicatur, quis tulerit talia?* Athan. apol. II. apud Baron. CCCXXXVI. Quanto minus ferendum erat Christum stantem et innocentem a sedente Caipha iudicari?

V. *Jesus autem tacebat, et nihil respondit*. Primo, quia objecta non erant responso digna, utpote publicæ scientiæ contraria et propria falsitate corruentia, vel levicula et insufficientia. Unde per Psalm. XXIV. ait: *Surgentes testes iniqui quæ ignorabam, interrogabant me; id est, quæ nec feceram, nec cogitaram unquam*. Secundo, ne illos magis irritaret, sciebat enim Dominus, *quidquid tandem respondisset torquendum ad calumniam*, ait S. Hieron. Condemnare parati erant, non locum

defensioni dare. Ne igitur ansam magis sæviendi et accusandi haberent, tacuit. Canis allatrans, cui resistis, defensurus te, magis exacerbat: neglectus desinit latrare. Tertio, ut improbam excusationem primorum parentum lueret, purgare se omisit, quod facillime et jure alioqui facere poterat. Quarto, ut doceret nos, innocentiam contra obtractatores non melius defendi quam silentio et patientia. Sic Davidi, Psalm. XXXVIII. ait: *Posui ori meo custodiam cum consisteret peccator adversum me: obmutui et humiliatus sum.*

VI. *Rursum summus sacerdos ait ei: Adjuro te per Deum vivum ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei.* Movit ad hanc quæstionem proponendam Caiphæ primo, obfirmatum Christi silentium, ex quo nullam poterat sumere occasionem condemnandi Christum. Secundo, insufficientia testimoniorum, quæ allata erant, unde ipsemet actor fieri incipit et talem quæstionem proponit, quæ infallibiliter eum capiat respondentem et ut ad respondendum compellat, adjurat per Deum vivum. Proponit igitur, num sit Christus Filius Dei vivi. Hic enim omnis odii fons in Christum, quo vilis et plebeius cum esset, pro Messia tamen, quem illi opulentum et potentem expectabant, necnon pro Filio Dei se confiteretur. An igitur Christe? Et si asseras te Christum, reum læsæ te majestatis dicent, tum Cæsaris quem solum agnoscunt regem, tum Messia aliquando venturi. Si insuper Dei Filium, blasphemum te clamabant, ponentem plures deos. Negas? In promptu testes aderunt, quibus convincaris, quod pro Christo gesseris te et Dei Filium dixeris. Insidiosum undique problema, quid igitur ad hoc Christus?

VII. *Dicit illi Christus: Tu dixisti, ego sum.* Nunc respondet et affirmat primo, quia jam venerit hora ejus, quæ se aperte sub contestatione divini nominis mundo proderet: quis esset, ut Judæis et toti mundo omnem tollerent excusationem: ne quis postea dicere posset, se non audisse Christi confessionem, cui credere posset esse ipsum Messiam. Quia enim in hac quæstione vertebatur cardo salutis nostræ (hoc enim ab omnibus sciri et credi oportebat, qui salvi esse vellent) prodidit se licet cum manifesto vitæ suæ periculo, et Romanorum ac Judæorum offensione: (confessione autem huic omni modo credendum est primo, quia coram pontifice, etc. Secundo, quia sub obstestatione divini nominis. Tertio, quia sub periculo vitæ. Quarto, quia de re publica et summi momenti facta.) Secundo, propter reverentiam et obstestationem divini nominis. Tertio, ut doceret nos, ubi Dei honos agitur, non licere nobis vel cum vitæ periculo ve-

ritatem tegere, aut professionem omittere. Unde per hoc animavit martyres, ne timerent coram tyrannis dicere, quod res erat. Docuit etiam eos qui a legitimo interrogantur magistratu de re cujus sunt convicti, veritatem dicere.

Antea factis potius quam verbis ostendebat se Filium Dei, ne jactator esse diceretur: nunc adactus respondet quod res erat.

Adjecit: *Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cæli.* Primo, ut clarior esset confessio suæ divinitatis et plenior, quasi diceret: Videor quidem nunc vobis nihil prorsus habere de Filio Dei: nolite tamen aspicere præsentem statum meum, sed aspiciate futurum. Veniet enim tempus quo rursus me videbitis, sed in majestate, non ut modo in humilitate, sed in nubibus cæli, id est, parem cum Deo gloriam habentem, prout de Messia vaticinatus est David, Psalm. CIX. venientem item in nubibus cæli, prout de eodem prædixit Daniel, c. VII. *Ecce cum nubibus cæli quasi Filius hominis veniebat.* Duplicem ergo Christi adventum docet Christus Judæos, qui in utroque errabant. Secundo, ut iniquos judices commonefaceret ultimi judicii, in quo eorum aliquando judex futurus erat, et tanto severius, quanto iniquius ipsi nunc judicarent. Væ vobis Caipha et sacerdotes; vestrumne judicem vos judicatis? Tertio, ut consolaretur justos, cum ab impiis tribulantur et injuste judicantur. Memores enim sint gloriæ illius et justitiæ, quam recipient in judicio: necnon confusionis, in qua videbunt ibi suos persecutores; et quo hic magis humiliantur, eo magis ibi exaltabuntur. Unde non aspiciendum quid nunc sint, sed quid aliquando futuri sint. Sic Joseph et Michæas co-majori gloria e carcere sunt educiti, quo majori ignominia in eum erant conjecti, Gen. XLII. III. Reg. XXII. In gloria transfigurationis Christi, fit mentio passionis ejus; in passionis ignominia fit mentio gloriosi ejus adventus, ut *in die bonorum ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum*, prout ait Eccl. c. XI.

VIII. *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimento sua dicens: Blasphemavit. Quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc vidistis blasphemiam: quid vobis videtur?* Ad quid vestem lacerat Caiphæ? Primo, ut hac cæremonia responsione Christi tametsi verissimam et toti mundo aroxandam tamquam blasphemiam exaggeret, et proinde concilium totum ad condemnandum Christum accendat fictum et vanissimum religionis et gloriæ divini zelum præfendens juxta morem Hebræorum, quæ audita blasphemiam scindebant vestes. Quod enim

hæc scissione sibi voluit, hoc verbo mox expressit: *Quid adhuc egemus testibus. Ecce nunc audistis blasphemiam: quid vobis videtur?* q. d. indignamini mecum et tamquam blasphemum morte condemnatis. Secundo, ut vel nesciens nunc factus, uti alibi verbo, rursus prophetet, et ostendat Judæos sacerdotii gloriam perdidisse et vacuum sedem habere pontifices, inquit D. Hieron. Matth. XXVI. Sic cum Saul scississet pallium Samuelis, ait ad eum Samuel: *Scidit Dominus regnum Israel a te hodie*, I. Reg. XV. Nec immerito, præterquam enim quod prohibitum erat pontifici scindere vestem, Levit. XXI. fecit id nunc ex mero odio et iniquissime. Tertio, secundum ven. Bedam, scinditur pontificis vestis, vestis vero Christi integra et illesa manet, ut vel sic appareat, victos esse Judæos, victorem vero Christum. Unde nunc scissi in frusta sunt Judæi tamquam vas figuli contracti et divisi sparsim in angulis terræ jacent sub pedibus Christianorum. Similiter qui iram cohibet et tacet ad injurias, victor est: qui vero furit, tonat, ferit, victum se ab ira ostendit.

IX. *At illi omnes condemnaverunt esse reum mortis et dixerunt: Reus est mortis.* Vide hic primo, quid possit in rebus malis principum exemplum, siquidem eo errante et in peccatum inclinante, subditi mox sequuntur. Utinam tantum possit in bonis! Vide secundo, quam parum sit mundo fidendum; siquidem ad unum omnes Christum condemnant, non quod is commereatur, quia nihil morte dignum egisse probatur, sed in gratiam Caiphæ tantum.

#### § XI. — OPPROBRIA CHRISTO IN DOMO CAIPHÆ ILLATA.

I. Expuunt in faciem Christi, velant, alapis et colaphis cædunt, illudunt. — II. Quanta in his ingratitude, quanta libido, quanta temeritas. — III. Cui hæc tulit Christus.

#### THEMA.

*Tunc expuerunt in faciem ejus, et colaphis eum cæciderunt.* Matth. XXVI.

Fabulati sunt poetæ (Ovidius, lib. III. metam.) Actæonem venatorem Dianæ artificio in cervum fuisse conversum. Quo facto proprii canes dominum adorti, laniare inceperunt, frustra clamantem:

Actæon, ego sum, dominum cognoscite vestrum;

siquidem ingrati canes formam tantum ejus spectarunt vocem non curarunt. Videtur mihi

hæc fabula in Christo verificata. Hunc enim ex Dei Filio in hominem eumque servilem, et peregrinum mutavit amor. Quid igitur huic evenit? Dum in silva hujus mundi animas venatur, ecce tibi canes ejus proprii, Judæi, de quibus Psalm. XXI. ait: *Circumdede runt me canes multi*, Dominum suum tam vili habitu non agnoscentes, latratibus et morsibus invadunt, percutiunt, illudunt. Inter hæc se manifestat Dominus: *Ego sum*, inquit, Deus scilicet et Dominus vester; sed ingratis illi canes, contempta hac voce, pergunt laniare Dominum suum, uti nunc videbimus.

I. Expuunt in faciem illam venerabilem, adorandam et consolatione plenissimam, quam tanto desiderio et solatio aspiciabant prius omnes tribulati, infirmi, obsessi, poenitentes, cæteri, ut dicerent, teste S. Birgitta, cum langueret: *Eamus et Filium Mariæ videamus*, lib. IV. revel. c. LXX. necnon gentiles, dicentes Philippo: *Domine, volumus Jesum videre*, Joan. XII. In faciem, inquam illam, in quam desiderant angeli prospicere. In hanc, tamquam angulum fœtidissimum et sordidissimum, expuunt isti sordes suas ab imo pectore vi extractas. Quæ major excogitari ignominia poterat? Unde a prophetis notata est hæc pœna: *Faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me*, Isa. L. Quod repetit Dominus, Luc. XVIII. *Filius hominis illudetur et flagellabitur et conspuetur.* Et olim Job XXX. *Faciem meam conspuere non verentur.* Patet ex Num. XII. maximam fuisse ignominiam, si pater spuisset in faciem filii. Quid ergo erit spuere in faciem Dei?

Secundo, velant, quo audacius feriant faciem illam: quam revelari olim tot votis flagitabant ss. patres; uti David: *Ostende faciem tuam et salvi erimus. Quare faciem tuam avertis? Oblivisceris inopiæ nostræ?* Moyses: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam.* Sed cur velant? Primo, ut eo liberius in eum peccent et insaniant, quasi tectus nihil videret. Inde illæ blasphemiae: *Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit?*

Secundo: « Tam gratiosa et benigna Dominus facies erat (inquit S. Chrysostom. hom. LXXXVI. in Matth.) ut hostes, quamvis crudeles essent, et eum odio prosequerentur, non possent tamen eam cernentes in eum sævire, sed emolliti commiserarentur. Ideo consilium eorum fuit, faciem ejus velare, quo atrocius eum cæderent, colaphos et alapas impingerent, barbam vellerent, pulverem in faciem ejus jactarent, et execerarentur eum. »

Tertio, alii alapis et colaphis eum cædunt, illi